

Fabulae Aesopicae

[Page 136]

Commentarium

[1] Esopus fabulator clarissimus natione quidem Phrygus, fortuna vero servus fuit, colore niger ac facie supra modum deformis, sed hec in vita eius scripta superius plena habentur. [2] Is quia beneficus semper in hospites fuit, Dea hospitalis in somnis sibi assistens largita est loquela – nam ab initio blactero fuit – sapientiamque ac variarum fabularum inventionem, que porro fabulae non parum conducunt mortalium vite. [3] Nam animalia bruta fingit agere ea que hominum sunt actiones, quas ita ante oculos ponit quod audientium animos incitat ad virtutem, nec ulli sunt hominum mores quos in brutis fingendo ipse non aperiat. [4] Has igitur fabulas si quis trite gustaverit, quam viam sequi quamque vitare debeat in privatis publicisque negotiis facile comperiet. [5] Nam imprimis fabulam narrat, tum quid fabula significet compendiosius exponit, atque ordinem alphabeti in greco secutus, qui in latino sermone servari non potest hinc sumit initium.

[Page 138]

I - De aquila et volpe

[1] Aquila et vulpes conflata inter se amicitia in proximo habitare constituunt, firmorem amicitiam ex frequenti conversatione fore putantes. [2] Igitur aquila nidum alta super arbore instruit, vulpes vero arborem propter inter dumeta catulos collocat. [3] Una igitur dierum cum vulpes latibulum egressa pastum catulis quereret, aquila et ipsa cibi indaga in latibulum devolans catulos arripuit ac pullis suis comedestum prebut. [4] Vulpes reveniens cognita filiorum morte atroci valde tristata est, et cum aquilam ulcisci non posset, quia quadrupes existens volucrem persqui nequibat, quod unum miseris ac impotentibus datur aquilam execratur ac mala sibi imprecatur. [5] Tantum in odium cum violatur vertitur amicitia. [6] Contingit igitur illis diebus ruri capram immolari, cuius frustum una cum carbonibus accensis aquila arripiens sustulit ad nidum. [7] Sed vento vehementius spirante nidus, qui ex feno ac materia exili aridaque confectus erat, incenditur. [8] Aquile pulli flamمام sentientes cum volare adhuc nequirent humi decidunt, vulpes confestim illos arripiens in aquile conspectum devorat. [9] Fabula significat quod qui amicitiam violent, quamvis quos lesinent ultionem declinet, dei supplicium non tamen affugiunt.

[Page 140]

II – De aquila et corvo

[1] Aquila celsa ex rupe devolans agnum ex ovium grege arripuit. [2] Quam rem cum corvis conspicatur, emulatione motus vehementi cum strepitu ac stridore devolat in arietem, atque unguens in arietis vellus ita implicat quod inde etiam motu alarum se explicare non potest. [3] Huns pastor cum ita implicitum videt accurrens, corvum comprehendit atque alarum pennis incisis pueris suis pro ludibrio detulit. [4] Verum enim cum quispiam corvum rogaret quenam volucris esset, corvus ait: «Prius equidem quoad animum aquila fui, nunc vero me corvum esse certo cognosco.» [5] Fabula significat quod qui supra vires quippiam audet, hoc solum efficit quod in adversa sepius incidit ac se vulgo ridiculum exhibet.

[Page 142]

III – De aquila et scabrone

[1] Aquila leporem persequebatur. [2] At lepus auxilii inops, quem tempus obtulit scabronem videns ab eo auxilium imploravit, cui scabro pollicitus est tutelam ac custodiā suam. [3] Deinde cum aquilam propinquatem scabro conspicatur eam precatur ne suum sibi eripiat servum. [4] At aquila scabronis parvitatem contemnens eo coram leporem exedit. [5] Verum scabro sue iniurie memor ubi aquila nidificaret observat. [6] Ecce aquila ova parit: scabro alis elatus ad aquile nidum evolat atque ova devolvens humum deicit. [7] Aquila iacture ovorum memore concita evolat ad lovem – est enim ales deo illi sacrata – ac locum ad pariendum sibi tutum dari precatur. [8] Iuppiter sibi concedit ut cum tempus adest eius in sinu pariat ova. [9] Hoc scabro providens globum e stercore conficit atque sursum evolans in lovī sinnū demisit. [10] Iuppiter volens e sinu globum excutere ova aquile simul excussit. [11] Ex tunc aiunt aquilam numquam parere quo tempore scabrones existunt. [12] Fabula significat quod nullus porro est contemnendus, quoniam nemo est qui iniuriam accipiat quin cum tempus datur se ulcisci non querat.

[Page 144]

IV – De philomela et accipitre

[1] Philomela cum alta queru sederet more suo sola canebat. [2] Eam accipiter cibum queritans cum intuetur repente evolat illamque rapit. [3] At philomela cum se interitum iri videt accipitrem precatur ut se missam faciat, quoniam ad explendum eius ventrem ipsa satis minime sit, sed pro saturitate sua ad maiores aves ut se vertat opus profecto fore. [4] Eam accipiter torve conspiciens ait: «Stultus equidem nimium essem si quem manibus teneo cibum illum dimitto amplioris spe pastus.»

[5] Fabula significat quod qui obmittunt id quod manu tenent rerum maiorum spe, consilio inopes ac ratione nimium sunt.

[Page 146]

V – De vulpe et trago

[1] Vulpes et tragus sitientes in quendam puteum siti descenderunt. [2] Verum enim post potum cum egressum circumspiceret hircus, vulpes ei comiter ait: «Bono sis animo, nam quid saluti nostre opus sit probe animadverti. [3] Si enim rectus stabis ac pedibus anterioribus cornibusve muro adhærebis, tuas ego scapulas cornuaque descendens cum egressa puteum fero, te manu comprehendens hinc desuper traham.» [4] Huic caper prompte deservivit. [5] Vulpes suo exultans egressu circa os putei capro alludebat. [6] At dum caper illam incusat sibi pacta haud servasse ei facete vulpecula inquit: «Si ea, caper, sapientia preditus essemus quo pilorum ornatus iste tua barba referta est, non pius in puteum descendisses quam egressum pensiculare vidisses!»

[7] Fabula significat quod homines consilio prediti rerum finem prius inspiciunt quam dent operam rebus gerendis.

[Page 148]

VI – De vulpe et leone

[1] Vulpes, que numquam viderat leonem, cum illi forte obviasset eo pertimuit ut mortem pene obiret. [2] Rursum illum cum aspexisset pertimuit, sed minime ut primum. [3] Eum tertio cum intuetur prope accedens fuit ausa coram disserere.

[4] Fabula significat quod rerum terribilium usus et consuetudo domestica facit.

[Page 150]

VII – De cato et gallo

[1] Catus cum gallum cepisset atque causam quereret qui eum comedere posset, illum criminari cepit quod esset animal turbulentum, qui noctu clamitando haud permetteret quiescere mortales. [2] Gallus se excusabat quod id ageret pro eorum utilitatem, cum ad opera facienda illos excitaret. [3] Rursum catus ait: «Impius es ac supra modum scelestus, qui agis continuo contra naturam cum nec a matre nec a sororibus te abstineas, sed per incontinentiam cum illis te commisceas.» [4] Gallus item se defendebat quod domini sui questus gratia id quoque ageret, enimvero ex huiusmodi coitu galline pariunt ova. [5] Tunc inquit catus: «Excusationibus licet abundes, ego tamen ieunare haud intendo.»

[6] Fabula significat quod qui pravus existit natura, cum semel delinquere animo proposuit, quamvis cause desit pretextus a pravitate non tamen desistit.

[Page 152]

VII – De vulpe sine cauda

[1] Vulpes, ut e laqueo evaderet abscissa cauda, cum e pudore vitam sibi mortem putaret, excogitavit alias dolo inducere vulpes ut, sub communis commodi specie, sibi singule caudam abscondirent et sic suum dedecus levaret. [2] Itaque ad unum vulpibus congregatis suadet ut caudam sibi abscondant, disserens caudam non modo dedecori vulpibus esse, sed oneri gravi atque inepto. [3] E vulpibus una ei facete respondit: «Heus, soror, si res ista tibi soli conduit, cum non itidem aliis, consulendum haud est equum!»

[4] Hec fabula ad eos spectat qui sub caritatis specie suum commodum consulendo prospiciunt.

[Page 154]

IX – De pescatore et smaride pisciculo

[1] Piscator quod rete mari tetendit eo smarida cepit pisciculum que parva adhuc etate piscatorem orabat ut, dum grandis esset atque maiorem questum ex ea assequi posset, eam vita donaret. [2] Huic piscator lepide respondit: «Ego quidem mente carerem si quod minimum mihi est lucrum, id dimitterem amplioris spe questus.»

[3] Fabula significat quod certa pro incertis, quamvis in eis magna insit spes, stultum est dimittere.

[Page 156]

X – De vulpe et rubo

[1] Vulpes, cum sepem quandam ascenderet ut periculum vitaret quod sibi eminere videbat, rubu manibus comprehendit atque volam sentibus perfodit et, cum graviter saucia foret, gemens inquit ad rubum: «Ut me iuvares cum ad te confugerim, tu deterius me perdidisti!» [2] Cui rubus: «Errasti vulpes, – ait – que pari dolo me capere putasti quo cetera captare consuevisti!»

[3] Fabula significat quod stultum est auxilium implorare ab illis quibus a natura datum est obesse potius quam aliis prodesse.

[Page 158]

XI – De vulpe et crocodilo

[1] Vulpes et crocodilus de nobilitate contendebant. [2] Cum crocodilus multa pro se adduceret ac supra modum se iactaret de splendore progenitorum suorum, vulpes ei surridens ait: «Heus amice, et si hoc quidem non dixeris, ex tuo corio clare appetit quod multis iam annis tuorum splendore fuisti denudatus!»

[3] Fabula significat quod homines mendaces res ipsa potissimum refellit.

XII – De vulpe et venatoribus

[1] Vulpes venatores effugiens ac per avia currendo iam defessa, hominem casu reperit lignarium quem rogat ut se quoquo loco abscondat. [2] Ille tectorum sibi ostendit. [3] Vulpes illud ingrediens in angulo quodam se abscondit. [4] Assunt venatores, lignarium si vulpem diverit rogant. [5] Lignarius verbis quidem se vidisse negat, manu vero ubi vulpes latebat locum ostendit, verum enim venatores re haud percepta statim abeunt. [6] Vulpes ut illos abisse prospicit, tectorio egrediens tacita recedit. [7] Lignarius vulpem criminatur quod, cum salvam fecerit, nihil sibi gratiarum agat. [8] Tunc vulpes se convertens illi facete ait: «Heu, amice, si manuum opera ac mores verbo similes habuisses, meritas tibi persolverem gratias.» [9] Fabula significat quod homo nequam et si bona pollicetur mala tamen et improba prestat.

[Page 162]

XIII – De gallis et perdice

[1] Gallos quam plures cum quis domi haberet, quam emerat perdicem illis compascere permisit. [2] Sed cum galli illam infestarent rostrisque perculerent, perdix ea iniuria vehementer perdoluit, putans quia advena nec eo genere esset eas sibi inferri iuniurias. [3] Gallos deinde cum ad invicem certantes consiperet, perdix amota animi perturbatione ait: «De cetero equidem haud tristabor, postea quam inter eos odiosa certamina cerno.» [4] Fabula significat quod homines sapientia prediti moderato animo ferunt iniurias ab illis vel maxime sibi illatas, qui nec sibi nec suis parcere sciunt.

[Page 164]

XIV – De vulpe et larvah

[1] Vulpes citharedi domum ingressa, dum que domi parata sunt sagaciter explorat, larve caput reperit arte industriosa compositum, quod manibus capiens ait: «O quale sine cerebro caput!» [2] Fabula significat quod non omnes corpore decori eandem animo habent pulchritudinem.

[Page 166]

XV – De homine et ligneo deo

[1] Homo quidam deum ligneum domi habens eum oravit ut boni quipiam sibi tribueret, sed quanto magis orabat eo res domi angustior erat. [2] Demum ille, concitus ira, deum cruribus capit et caput parieti percutit illi. [3] Esciso igitur capite multum auri exiliit, quod homo collinges ait: «Perversus nimirum es atque perfidus, qui dum in honore te habui nihil quidem profuisti, percussus vero ac verberatus boni plurimum contulisti.» [4] Fabula significat quod homo nequam, si quando prodest, id efficit vi coactus.

[Page 168]

XVI – De cane ad cenam vocato

[1] Vir quidam cum cenam opiperem parasset amicum quandam domum vocavit, eius quoque canis canem alterius ad cenam invitavit. [2] Is domum ingressus, cum tantum dapium videt apparatus, letus secum ipse ait: «Hodie porro ita me explebo quod die crastino comedere non indigebo!» [3] Hisque dictis motu caude applaudet. [4] Cocus vero eum conspiciens tacitus per caudam capit atque illum sepius rotans per fenestram proicit. [5] Ille attonus humo surgens, dum clamando aufugit, ceteri canes sibi occurrunt atque rogitant quam opipere cenaverit. [6] At ille languens ait: «Ita potu ac dapibus me explevi quod qua exiverim viam non vidi.» [7] Fabula significat quod quibus rebus quis dolitur est rebus illis letari non debet.

[Page 170]

XVII – De aquila et homine

[1] Aquilam homo quidam cum cepisset pennis alarum sibi evulsis inter gallinas morari dimisit. [2] Eam deinde quidam mercatus pennis alas denuo munit. [3] Tum aquila volans leporem capit fertque illum benefactori suo. [4] Quam rem vulpes conspiciens homini ait: «Noli hanc aquilam uti prius hospitio habere, ne ceu leporem te eque venetur!» [5] Tum homo aquile item pennas evulsit. [6] Fabula significat quod benefacientes sunt quidem remunerandi, improbi vero omni studio vitandi.

[Page 172]

XVIII – De viro agricola

[1] Homo quidem arte existens agricultor, cum finem vite sibi adesse cognosceret cuperetque filios in agrorum cultu fieri peritos, eos vocavit atque inquit: «Filii, ego e vita decedo. [2] Bona mea in vinea consita sunt omnia.» [3] Illi post patris obitum putantes in vinea thesaurum reperiri, assumptis ligonibus marris ac bidentibus, vineam funditus effodiunt, nullumque thesaurum inveniunt. [4] Verum enim vinea cum probe effossa foret plus solito fructus produxit atque illos divites fecit. [5] Fabula significat quod labor assiduus thesaurum parit.

[Page 174]

XIX – De carbonario et lotore

[1] Carbonarius lotorem quendam rogavit ut quam pretio conduxerat domum secum pariter conhabitaret. [2] At lotor rei alias expertus ait: «Id conducibile haud mihi esset: nam que albificarem ea omnia carbonum favillis ipse maculares.»

[3] Fabula significat quod res natura dissimiles stare simul commode non possunt.

[Page 176]

XX – De vulpe esuriente

[1] Vulpes ingenti fame concita, cum quodam in tectorio carnis frustum ac panem reposita prospiceret, tectorium ipsum intravit atque tantum comedit quod ad ingentem tumorem ventrem distendit, et, cum ex nimia ventris tumefactione inde egredi nequiret, timens gemebat. [2] Eius gemitum vulpes alia transiens illac cume audiret, illuc accedit rogatque quianam gemeret, deinde causam gemitus edocta lepide ait: [3] «Istic manendum est usque dum eo tenuis efficiaris quanta eras cum intrasti. [4] Nam eo pacto facile egredieris.»

[5] Fabula significat quod nihil est tam durum quod tempus non dissolvat.

[Page 178]

XXI – De pescatore quodam

[1] Piscator quidam piscandi inexpertus, tibiis ac rete assumptis, iuxta maris litus accedit, atque saxo quodam superrexistens imprimis tibicinare cepit, putans cantu se pisces facile esse capturum. [2] Verum cantu cum nullum consequeretur effectum, depositis tibiis rete in mari demittit ac pisces cepit perplures. [3] Sed cum ex rete pisces extraheret atque eos saltantes perspiceret, non insulse ait: «O improba animalia, dum ad tibiam cecini saltare noluistis, nunc quia canere cesso saltus datis assiduos!»

[4] Fabula significat quod omnia probe fiunt que fiunt tempore suo.

[Page 180]

XXII – De pescatoribus quibusdam

[1] Pescatores pescatum profecti diuque pescando defessi, fame preterea ac merore quod nihil cepissent confecti, cum abire decernunt ecce piscis quidam alium fugiens se insequentem in naviculam saltat. [2] Illum pescatores supra modum leti comprehendunt ac in urbem reversi grandi pretio vendunt.

[3] Fabula significat quod frequentius fortuna id exhibet quod ars efficiere non potest.

[Page 182]

XXIII – De viro inope et infirmo

[1] Homo quidam pauper cum egrotaret diss vovit quod si eo morbo liberaretur boves centum immolaret. [2] Quod dili experiri volentes sanitatem illi facile reddit. [3] Liber igitur a morbo, cum boves quia pauper non haberet, ossa boum centum collegit eaque super altari deponens lepide inquit: «Ecce quod vovi votum vobis nunc persolvo.» [4] At dili illum ulcisci volentes, in somnis sibi assistunt atque inquiunt: «Ad maris litus pergit: ibi enim in loco semoto auri talenta centum repieres.» [5] Ille expergefactus somnii memor, dum pergit ad litus incidit in latrones. [6] Captus itaque eos rogabat ut se missum facerent quoniam mille talenta auti persolveret eis.

[7] Fabula significat quod homo mendax deos et homines pariter contemnit.

[Page 184]

XXIV – De vulpe et pardo

[1] Vulpes cum pardo de pulchritudine contendebant. [2] Cum varis corporis notas pardus sibi duceret decori, vulpes ei comiter ait: [3] «Ego quidem longe formosior sum iudicanda, que non corpus sed animum variis notis habeo notatum.»

[4] Fabula significat quod decor mentis est potior omni corporis ornatu.

[Page 186]

XXV – De pescatoribus quibusdam

[1] Pescatores quidam e mari rete trahebant. [2] Quod cum grave esse sentierunt letitia gestiunt, putantes multos pisces habere irretitos. [3] Sed ut rete in terram traxerunt, pisces quidem paucos saxum vero ingens reti inesse cum perspiciunt, longe tristantur.

[4] Quidam ex illis, natu iam grandis, non inurbane sociis inquit: «Animis estote quietis quippe letitie soror est mestitia. [5] Oportet enim casus prospicere futuros, illosque ut levius quis ferat persuadere sibi esse eventuros.»

[6] Fabula significat quod qui reminiscitur sortis humanae in adversis minime frangitur.

[Page 188]

XXVI – De ranis regem petentibus

[1] Rane, merentes quod sine rege forent, lovi supplicatum oratores mittunt ut regem sibi dedat. [2] Iuppiter earum simplicitatem cognoscens lignum in stagni medium demisit. [3] Quod cum in stagnum cecidit, eius sonus supra modum terruit ranas, que cum lignum esse neverunt rursum lovi supplicatum mittunt ut regem vivum, haud mortuum sibi dedat. [4] Iuppiter stultis earum precibus motus, ydrum illis dedit in regem. [5] Is in diem cum ranas devoraret, tertio lovem rane precantur ut regem sevum atque immanem ab eis amoveret. [6] Tunc Iuppiter inquit: «Quem tot precibus regem exorastis eum vobis perpetuum habetote!»

[7] Fabula significat quod sepe ea precamur que impetrasse postea nos penitet.

XXVII – De cata in feminam mutata

[1] Cata quedam speciosi cuiusdam adolescentis amore capta, Vnerem oravit ut eam in hominem mutaret. [2] Venus illius miserta in formam hominis mutavit eam. [3] Que cum longe speciosa esset, amator domum subito adduxit. [4] Sed, cum in cubiculo simul sederent, Venus experiri cupiens si mutata faciem mutasset et mores, in medium constituit murem quem cum illa prospexit, oblita forme et amoris sui, murem ut caperet persecuta est. [5] Qua super re Venus indignata denuo eam in priorem cate formam mutavit. [6] Fabula significat quod homo nequam, licet personam mutet, mores tamen retinet eosdem.

[Page 192]

XXVIII – De sene mortem vocante

[1] Senex quidam lignorum fascem super humeros ex nemore portans, cum longa via defessus esset, fasce humi deposito, mortem vocavit. [2] Ecc Mors advenit causamque rogat quamobrem se vocaverit. [3] Tunc senex: «Ut hunc lignorum fascem super humeros mihi imponeres.» ait.

[4] Fabula significat quod quisquis vite cupidior est licet milibus subiciatur periculis, mortem tamen semper devitat.

[Page 194]

XXIX – De muliere et medico

[1] Mulier anus, cum ophthalmiam pateretur, medicum ad se curandum accersit, certum pretium sibi dare promittens, si eo morbo curaretur; si vero non liberaretur nihil ei debere pacta est. [2] medicus vero quotiens illam ibat curatum totiens quippiam e domo clam exportabat. [3] Mulier igitur, ophthalmia curata, cum nihil rerum suarum domi esse prospiceret, medico mercedem pactam petenti solvere denegat. [4] Quam ob rem vocata in iudicium, pactum quidem non denegat, sed se curatam ophthalmia esse id vero pernegat aiens: [5] «Cum ceca eram domum multa suppellectile refertam videbam, nunc cum video, ut medicus ait, nihil rerum domi esse perspicio.»

[6] Fabula significat quod homines avaricie dediti sibimet sepius contradicunt.

[Page 196]

XXX – De agricola et canibus

[1] Agricola quidam magnitudine hyemis in suburbanis se locavit sed cum alimonia sibi deficeret capris et ovibus vesci primum cepit. [2] Cum vero in diem magis seviret hyems bobus quoque nec pepercit. [3] Quod facinus cum animadvertiscunt canes invicem verba faciunt: «Quid hic stamus? – inquiunt – [4] Cur mortem nobis incumbentem non fugimus? [5] Putamusne eum nobis parcere vitam, qui alimonie gratia boves iugulavit?»

[6] Fabula significat quod eos fugere debemus qui in carissimos crudeliter se ferun

[Page 198]

XXXI – De agricola et filiis

[1] Agricola quidam quam plures habuit filios continua seditione discordes ac eius admonitiones perpetuo negligentes. [2] Cum forte una domi omnes sederent, iussit pater virgarum fascem coram deportari atque natos cepit hortari ut integrum fascem disrumperent. [3] Eum igitur fascem cum totis viribus frangere non possent genitor precepit ut soluto fasce singillatim frangerent virgas. [4] Cum quisque facile hoc perficeret, tunc facto silentio pater ait eis: [5] «Si quando animis idem sentietis, nati mihi carissimi, nec ab inimicis superari poteritis, sed, si inter vos seditione servabitis, qui volet is facile vos perdet.»

[6] Fabula significat quod fortior est unio quam seditio non est imbecillis.

[Page 200]

XXXII – De muliere et gallina

[1] Vidua quedam mulier gallinam habuit que die quolibet pariebat ovum. [2] Putavit mulier, more ingenii humani quod sitis habendi semper sollicitat, gallinam illam die bis paritaram si plus spelte traderet ei solito. [3] At gallina pluri alimonia pinguior facta, id unum desiit parere ovum. [4] Sic mulier ec quo maius lucrum queritabat, id ceca augendi cupiditate amisit.

[5] Fabula significat quod plurium cupiditate rerum presens quandoque deperditus questus.

[Page 202]

XXXIII – De homine a cane morso

[1] Homo quidam, cum eum canis momordisset, summo cum studio sciscitabatur a quo sanari posset. [2] Quidam sibi obviam factus atque de medico rogatus ait: «Si vis, amice, fieri sanus non est tibi opus medico. [3] Nam si canis qui te momordit a vulnere lingua sanguinem terget ista cura nihil potius reperiri potest.» [4] Alter arridens venustissime inquit «Si huiuscemodi utor remedio in diem magis ac magis a canibus mordebor!»

[5] Fabula significat quod ab hominibus nequam incommoda pro commodis et mala pro beneficiis retribui solent.

[Page 204]

XXXIV – De duobus amicis et ursa

[1] Amici duo dum rus viarent ursa eis obviam occurrit. [2] Qua prospecta alter eorum territus ut se salvaret continuo arborem ascendit. [3] Alter cum urse viribus posse obsistere dubitaret uti mortuus humi iacuit resupinus, retinens flatum atque anhelitum. [4] Cum nec ore haud naso respiraret, ursa eum esse exanimatum existimans abiit. [5] Dicunt enim a cadavere ursas omnino se abstinere. [6] Alter deinde ex arbore descendens, quid in aure sibi dixerit ursa socium rogavit. [7] Ille urbano sermone respondit: «Admonitus sum ab ursa ut cum huiusmodi amicis non proficiscar amplius.» [8] Fabula significat quod eorum amicitia colenda non est qui cum est opus amicis subsidia denegant.

[Page 206]

XXXV – De adolescentibus duobus et coquo

[1] Adolescentuli duo equis sumptibus carnes coemerunt et curatum coquo tradiderunt. [2] Obiter dum coquus aliis vacat negotiis, alter iuvenum carnes eas clanculum accepit ac socio tradidit. [3] Coquo deinde carnes querinti qui acceperat se haud habere iurat, qui vero habebat se non accepisse iurabat. [4] Coquus, percepto iuvenem dolo ait: «Et si fallor euidem a vobis, per quem vero iuratis res ista non latebit deum.» [5] Fabula significat nullum scelus posse latere deus.

[Page 208]

XXXVI – De duobus inimicis

[1] Duo quidam gladiatorio animo inter se inimicitiam habentes, una in navi navigabant, et cum alter eodem in loco stare cum altero non pateretur, unus in puppi alter in prora consedit. [2] Orta autem tempestate cum navis periclitaretur, qui in prora sedebat rogit navis gubernatorem que pars navis submergi prius deberet et, cum gubernator puppim dixisset, ait ille: «Mors mihi modo molesta minime est, si inimicum meum prius mori prospicio.»

[3] Fabula significat quod inimicus ut inimicum perdat se ipsum perdere sepius eligit.

[Page 210]

XXXVII – De calamo et oliva

[1] Quenam esset fortior durior et magis resistens canna et oliva invicem contendebant. [2] Oliva calamo humilitatem obiciebat eo quod ventis facile cederet. [3] Huic dicto unum harundo haud reddidit verbum. [4] Paulo post ventus turbine vehementi aspirans radicibus evulsit olivam totis viribus sibi obstantem. [5] At canna flatibus se inclinans salutem facile est assecuta.

[6] Fabula significat quod potentioribus sine controversia mos est in tempore gerendus.

[Page 212]

XXXVIII – De vitula et bove

[1] Vitula cum bovem arantem perspiceret illum pre se, que nihil agebat, contempsit. [2] Sed cum immolationis affuit dies, bos quidem missus, vitula vero ut immolaretur retenta est. [3] Quam rem bos cum conspicatur, surridens ait: «Heus vitula, ideo non laborabas, ut immolareris!» [4] Fabula significat quod otiosis et nihil agentibus pericula quoque eminent.

[Page 214]

XXXIX – De puer et Fortuna

[1] Cum puer quidam iuxta puteum dormiret Fortuna illuc accedens illum axcitavit inuiens: [2] «Surge et hinc ocius abi, quippe in puteum si caderes non tuam inscitiam sed me, Fortunam, omnes accusarent.»

[3] Fabula significat quod frequens pericula culpa nostra incurrimus, deinde abs re Fortunam accusamus.

[Page 216]

XL – De muribus et cato

[1] Domo quapiam quod perplures forent mures catus presentiens illuc accessit atque nunc unum nunc alium capiens complures interimendo comedit. [2] Verum mures, cum se in diem consumi perciperent, ad unum coacti inquiunt secum: [3] «De cetero inferius non est descendendum si nolumus iri perditum omnes, sed hic superius manendum quo catus ascendere non potest.» [4] At catus consilio murum percepto, simulans se mortuum esse posterioribus pedibus se ad palum suspendit, qui fixus parieti erat. [5] E muribus quispiam deorsum acute prospiciens, ut catum esse cognovit haud infacete ait: «Heus amice, et si te follem esse certo scirem deorsum minime descenderem!» [6] Fabula significat quod vir prudens semel si fallitur fictis et simulatis hominibus non amplius fidelis.

[Page 218]

XLI – De simia et vulpe

[1] Apud brutorum animalium concilium simia ita apposite saltavit quod omnium fere consensu rex statim fuit creatus. [2] At vulpes invidens ei, ubi viderat carnes laqueo in fovea sitas illuc simiam ut duxit inquit ad eam: [3] «Hic thesaurus absconditus est qui ex lege spectat ad regem. [4] Quare cum tuus ex lege sit tute ipse capias illum.» [5] Simia vulpis suasu illuc temere accedens, ut se captam laqueo sensit, vulpem acriter accusat que dolo se deceperat. [6] Ei vulpes haud illepide ait: «Heu stulta, que cum

fortuna te extilusset, dominari ceteris iam te putabas dignam!»
[7] Fabula significat quod qui temere quippiam aggreditur, temere in adversa incidit ac vulgo ridiculus fit.

[Page 220]

XLII – De cervo et leone

[1] Cervus vehementi siti cum vexaretur ad fontem proficiscitur, dumque potat suam in aqua prospiciens umbram valde letatus est magnitudine cornuum ac ramositate, deinde pedes et crura prospiciens nimium tristatus est. [2] Hec dum animo vertit, ecce leo apparet ac cervum persequitur. [3] At cervus fugam arripiens leonem per campos longe anteibat. [4] Dicunt enim cervorum vires consistere in pedibus, at leonis in animo stare robur. [5] Quousque igitur leo per campos secutus est cervum, eum assequi non potuit. [6] Casu vero contigit cervum nemus intrare, ubi cornibus ad ramos implicitis cum fugere non posset a leone captus cum se moriturum videret «Heu me miserum – inquit – qui cornibus gavisus ipsis cornibus pereo!»
[7] Fabula significat quod que putamus nobis profutura, ea nobis sepius obsunt.

[Page 222]

XLIII – De agricola et pelargo

[1] Agricola laqueos in agro tetendit ut grues et anseres venaretur, qui sata sua continue depascebant. [2] At simul cum illis venatus est pelargum, qui pede tentus rogat agricolam ut eum solvat missumque faciat, cum non sit grus nec specie anser sed pelargus avium piissimus qui parentibus semper deseruit nec illos in senecta deserat unquam.
[3] Ei agricola surridens ait: «Que dicis haud me fugiunt, nam qui sis probe teneo, sed his simul captus cum sis, his quoque simul est moriendum.»
[4] Fabula significat quod qui cum improbis in quopiam deprehenditur crimine pari pena plectitur cum illis.

[Page 224]

XLIV – De agno et lupo

[1] Agnus in domo bene clausa existens, cum lupum ad se venientem perspicit, illum conviciis et maledictis persequitur. [2] At lupus inquit ei: «Non tu, sed locus inaccessibilis mihi convicia dicit.»
[3] Fabula significat quod locus et tempus faciunt timidos persepe audaces.

[Page 226]

XLV – De love et corvo

[1] Iuppiter volatilibus regem creare volens, diem concilii avibus indixit ut qui speciosior esset rex constitueretur. [2] Quam rem presentiens corvus ac sue deformitatis conscientia, pennis aliorum hinc inde collectis se deocravit ac speciosissimum omnium se reddidit. [3] Adest dies prefinitus, veniunt ad concilium aves. [4] Iuppiter corvum ob pulchritudinem cum regem avibus creare vellet, id aves indigne ferentes suas a corvo extrahunt pennas. [5] At corvus alienis pennis cum esset exutus corvus ut erat demum remansit.
[6] Fabula significat quod qui rebus pendet alienis illis amissis quisnam ipse sit cuique liquido patet.

[Page 228]

XLVI – De tubicina quodam

[1] Tubicen quidam tube sonitu pugnatum ciebat exercitum. [2] Ab hostibus deinde per insidias captus miseranda voce clamabat: «Ne abs re ac frusta occidere me velit!»
[3] Ego quidem non pugno nec preter tubam quippiam aliud possideo!» [4] Qui eum vinctum ducebant huiusmodi verba contra reddiderunt: [5] «Hanc ob rem morte dignior es iudicandus quod cum hostibus manum conferre devitans alios sonitu ad pugnam hortaris.»
[6] Fabula significat quod graviori pena sunt iudicandi qui cum ipsis iniuriam non agant alios ad iniuriam agendum impellunt.

[Page 230]

XLVII – De fabro et cane

[1] Faber quidam catulum habebat qui dum ipse ferrum cuderet continue dormiebat, cum vero manducabat canis statim surgebat et que sub mensa erant deiecta, ceu ossa et alia huiusmodi, sine mora corrodebat. [2] Quam rem animadvertis faber inquit ad canem:
[3] «Heus, miser, quid tibi faciam nescio, qui dum ferrum cudo continue dormis et segnitia teneris, rursus cum dentes moveo statim surgis et cauda mihi applaudes!»
[4] Fabula significat quod secordes et somnolenti qui ex aliorum vivunt laboribus gravi censura sunt coercendi.

[Page 232]

XLVIII – De mula quadam

[1] Mula quedam nimio ordeo pinguis effecta nimia pinguedine lasciviebat secum inquiens:
[2] «Pater mihi equus fuit qui cursu celerrimus erat, et ego ei per omnia sum similis.»
[3] Parum post contigit quod oportuit mulam quantum potuit currere, sed cum a cursu cessavit «Heu me miseram, – inquit – que equi filiam me esse putabam, at nunc memini asinum mihi patrem fuisse.»
[4] Fabula significat quod stulti in propseris se ipsos dediscunt sed in adversis suos

persepe recognoscunt errores.

[Page 234]

XLIX – De thunno et delphino

[1] Thunnus, cum eum delphinus persequeretur, magno elatus impetu ac stridore a vehementi fluctu in insulam defratur, eumdemque in scopulum a fluctu eodem delphinus, dum se putat capere thunnum, ipse quoque defertur. [2] Thunnus conversus cum delphinum expirantem animam perspicit secum ipse ait: «Mors mihi molesta admodum non est, ex quo mortis auctorem mori simul mecum perspicio.»

[3] Fabula significat quod quivis adversa levius fert cum adversitatum auctores eadem adversitate opprimi perspiciunt.

[Page 236]

L – De medico quodam

[1] Medicus quidam, cum quem curaret egrotum eum mori contigerit, efferentibus funus aiebat: [2] «Vir iste si se vino abstinuisset et clysteriis usus fuisset eum mori non contigisset.» [3] Ex his qui aderant quispiam medico haud infacete ait: «Heus, medice, ista consilia cum prodesse quibant dicenda fuerunt, non nunc cum nihil valeant prodesse!»

[4] Fabula significat quod, ubi haud prodest consilium, id eo tempore dare est sane amicum deludere.

[Page 238]

LI – De aucupe

[1] Auceps aucupatum calamis viscoque tetendit et, cum turdum canere arboris desuper ramum aspergit, ut eum caperet calamos erexit. [2] At inter ambulandum pede altero viperam calcavit morsusque ab ea cum iam iam ob venenum se deficere persensit [3] «Heu me miserum, – ingemuit – qui dum alium capere festino, alter ad mortem me est aucupatus!»

[4] Fabula significat quod que contra alios facere nitimur ea persepe ab alio ipsi patimur.

[Page 240]

LII – De castore

[1] Castor est animal quadrupes qui in paludibus se nutri. [2] Eius testes variis medelis utiles esse dicuntur. [3] Itaque cum quispiam eum sequitur, seu persecutio causam non ignorans ac pedum velocitati fidens quantum potest fugit, usque quoad locum ne videatur salvus deveniat, atque ibi testes excidens in venatores cum sibi appropinquant proicit, et isto pacto a venatoribus se eripit.

[4] Fabula significat quod sapiens ut a periculis se eripiat nihil intemperatum deserit.

[Page 242]

LIII – De puer oves pascente

[1] Puer quidam, cum oves eminentiori in loco depasceret, sepius clamabat: «Heus o! a lupis mihi succurrите!» [2] Qui circum aderant cultores agrorum, cultum omittentes ac illi occurrentes atque nihil esse comperientes ad opera sua redeunt. [3] Cum pluries puer id ioci causa fecisset, ecce cum lupus pro certo adesset, puer ut sibi succurratur serio clamat. [4] Agricole id verum non esse putantes cum minime occurrent, lupus oves facile perdidit.

[5] Fabula significat quod qui cognoscitur mentiri, ei veritas postea non creditur.

[Page 244]

LIV – De vulpe et corvo

[1] Corvus, cum carnium frustum rapuisse, arborem quandam supersedit. [2] Vulpes eum suspiciens atque carnes sibi cupiens illum arte aggreditur. [3] Stans igitur sub arbore corvum laudare occipit aiens: «O quam magna avis est hec, quam speciosa, quam venatrix, quam formosa! [4] Hanc decuit esse avium regem: nam omnia regia super alias sibi sunt aves, si modo vocem haberet!» [5] His laudibus corvus inflatus et dici mutus haud valens pati ulterius, dum magna voce crocizat carnes humi decidunt. [6] Illas cum vulpes rapuisse conversa ad corvum inquit: «Heus corve, omnia decora tenes! Modo mente haud careres!»

[7] Fabula significat quod qui adulatoribus nimium credunt hi que non putant in adversa sepius incident.

[Page 246]

LV – De cane et lupo

[1] Canis cum ante aulam dormiret, lupus superveniens eum statim cepit et cum ipsum occidere vellet, canis ne eum occideret rogavit inquiens: [2] «Here mi lupe, nunc me occidere noli: nam, ut vides, tenuis sum, gracilis et macilentus, sed herus meus nuptias in proximo facturus est, ubi, si parum me expectas, ego opipere manducans atque pinguior factus ero tibi utilior.» [3] Lupus his verbis fidem habens canem dimisit. [4] Paucos post dies lupus accedens cum canem domi dormientem reperit, stans ante aulam canem rogat ut sibi promissa prestet. [5] Ei canis haud inrustice inquit: «Heus, lupe, si ante aulam de cetero me reperis haud amplius nuptias expectes!»

[6] Fabula significat quod sapiens cum periculum vitat ab illo postea continuo cavet.

[Page 248]

LVI – De corvo egrotante

- [1] Corvus cum egrotaret matrem rogavit ut sua pro sanitate deos precaretur inquiens:
[2] «Mater, noli plorare sed deos potius precare ut sanitatem mihi restituant.» [3] Ei
mater scite respondit: «Quem deorum tibi fore propitium putas, cum nullus sit et cuius
aris sacra non rapueris?»
[4] Fabula significat quod qui in prosperitate quemvis offendit in adversis amicum sibi
reperit neminem.

[Page 250]

LVII – De cane carnes portante

- [1] Canis ore ferens ac flumen transiens cum sub aqua umbram prospexit, putavit alium
esse canem qui plus carnium deferret. [2] Itaque quas ipse ferebat eas carnes sub aquis
ire dimisit et ut umbram caperet se movit, sed carnes et umbram que sane nihil erant
simul perdidit.
[3] Fabula significat quod cupiditate plus semper habendi que tenemus ea sepenumero
perdimus.

[Page 252]

LVIII – De leone et rana

- [1] Leo, cum ranam magniloquacem audiret, putans aliquod magnum animal esse se
retrovertit parumque stans ranam e stagno exeuntem videt. [2] Quam indignabundus statim
pedibus calcavit aiens: «Nullum amplius ut te perspiciat animal clamore movebis.»
[3] Fabula significat quod apud verbosos preter linguam nihil reperitur.

[Page 254]

LIX – De leone sene

- [1] Leo, cum senuisset nec victum sibi querere posset, viam machinatus est qui alimenta
haud sibi desint. [2] Ingressus igitur speluncam, graviter egrotare iacens simulabat;
animalia illum vere egrotare putantia visitandi gratia ad eum accedebant, que leo
capiens singillatim manducabat. [3] Cum multa animalia iam occidisset, vulpes, leonis
cognita arte, aditum spelunce accedens leonem quo valeat pacto exterius stans rogat.
[4] Ei leo blande respondens ait: «Vulpes, filia, cur non intro ingrederis ad me?»
[5] Ei vulpes non illepide ait: «Quoniam, here mi, animalium ingredientium perplura
equidem vestigia cerno sed egredientium vestigia nulla.»
[6] Fabula significat quod homo prudens quia pericula eminentia providet illa facile
devitat.

[Page 256]

LX – De leone et tairo

- [1] Leo ingentem taurum per insidias sequens cum prope accessit eum vocavit ad cenam
inquiens: [2] «Amice, ovem occidi: hodie mecum si placet cenabis.» [3] Taurus leoni
morem gerens ut discubuerunt, cum multos lebetes nec non magnos et plures obeliscos
paratos consiperet, et ovem ibi nullam adesse e vestigio abiit. [4] Quem leo abeuntem
perspiciens cur abiret rogavit. [5] Ei taurus haud inurbane respondit: «Non de nihilo
equidem abeo, cum instrumenta non ad ovem se ad taurum coquendum videam esse parata.»
[6] Fabula significat quod homines prudentes minime latent improborum artes.

[Page 258]

LXI – De leone asino et vulpe

- [1] Leo, asinus et vulpes, conflata inter se societate, venatum exeunt cumque multam
predam cepissent, leo asino mandat ut predam dividat. [2] Asinus, cum eam in tres partes
equaes esset partitus, optionem capiendo sociis dedit. [3] Quam partitionem leo indigne
ferens ac dentibus frendens a divisione depositum eum, mandavitque vulpi ut predam ipsa
partiretur. [4] At vulpes illas tres partes in unum colligens ac prede nihil sibi
seorsum relinquens leoni omnia tradidit. [5] Tunc leo vulpi ait: «Quis te partiri
edocuit?» [6] Inquit ex tempore vulpes: «Asini periculum id me facere instruxit.»
[7] Fabula significat quod aliorum pericula homines faciunt cautiores.

[Page 260]

LXII – De leone rustici filiam cuiusdam amante

- [1] Leo cuiusdam rustici filiam amabat. [2] Illam cum habere cuperet, patrem virginis
rogavit ut sibi nubere ipsam assentiret. [3] Ei rusticus ait nullo pacto se assensurum
quod filia bestie nubat. [4] Cum illum leo torve aspicaret ac dentibus frenderet,
rusticus mutato consilio ait se cupere ei filiam nubere, modo dentes et ungulas prius
cedat evellatque, quoniam virgo illis rebus longe terretur. [5] Leo, id postquam pre
nimio amore fecit, rusticum adiens filiam sibi dari postulat. [6] At rusticus leonem cum
ungulis et dentibus perspicit intertem, arrepto fuste illum frequens pulsando
persequitur.

[7] Fabula significat quod qui inimicis se committit de facili perit.

[Page 262]

LXIII – De leena et vulpe

- [1] Leena, cum a vulpe sepius exprobaretue quod quolibet partu unum dumtaxat pareret
catulum, ait: «Unum sane, at pol leonem!»
[2] Fabula significat quod pulchritudo haud in copiam rerum sed in virtute consistit.

LXIV – De lupo et grue

[1] Lupus in gutture osse retento cum longe cruciaretur, grui pretium obtulit si illud e gutture extraheret. [2] Grus rostro cum os e gutture extraxit, pretium sibi promissum expostulat. [3] Ei lupus surridens simulque dentes acuens ait: «Satis pretii tibi esse debet quod ex lupi ore caput sine lesione eduxeris.» [4] Fabula significat quod apud improbos gratitudo non parva habetur si pro obsequio quis detrimentum non recipit.

[Page 266]

LXV – De lupo et agno

[1] Lupus cum agnum invenisset errantem eum non cepit fortissima manu, sed causam quesivit qua iure vel iniuria comedederet. [2] Igitur agno huiusmodi verba facit: «Tu mihi abunde iam diu intulisti iniurias.» [3] Agnus gemendo ait: «Quomodo id fieri potuit cum nuperrime venerim ad lucem?» [4] Lupus denuo ait: «Agrum mihi pascendo devastavit.» [5] Agnus inquit ei: «Cum dentibus etiam caream id facere nequivi.» [6] Lupus rursum ait: «Ex meo quoque fonte bibisti.» [7] Ei inquit agnus: «Quo pacto id fieri potuit, cum aquam ex estate nondum biberim, sed lac matris cibus et potus adhuc mihi sit?» [8] Lupus demum ira concitus ait: «Licet tua solvere nequeam argumenta cenare tamen opipere intendo.» [9] Agnumque cepit ac illum manducavit.

[10] Fabula significat quod apud improbos ratio et veritas locum haud habent.

[Page 268]

LXVI – De duobus gallis intra se certantibus

[1] Duo galli se ruri certabant. [2] Qui gallinarum prior dux erat, cum ab altero superatus esset, pre verecundia se abscondit; alter vero, victoria elatus, domus tectum statim supervolans vehementi alarum plausu cantuque significat se rivalem suum pugnando superasse et de adversario ferre tropheum. [3] Dum hec et huiusmodi iactabundus voce cocizat, ecce aquila cibi indaga ex alto devolans gallum unguibus rapit ac pullis suis in alimoniam contulit. [4] Quam rem qui victus fuerat gallus perspiciens ceu ex hoste triumphans in publicum venit ac solus gallinis libere potitur.

[5] Fabula significat quod qui in prosperis nimium fudit in adversa sepius precepis incidit.

[Page 270]

LXVII – De vate quodam

[1] Foro urbis medio quidam vates cuivis sortem aperiebat futuram. [2] Quam ob rem magna hominum frequentia stipatus dum uni et alteri suam aperit sortem, ei nunciatur res suas furtim domo esse ablatas. [3] Quo auditio domum curriculo dum abit quidam ei obviam factus ridicule ait: [4] «Cum alios quid esset futurum monebas qui tue sortis nescius fuisti?»

[5] Fabula significat quod homines nequam corrigunt alios et sua crimina scire se negligunt.

[Page 272]

LXVIII – De formica et columba

[1] Formica siti in fontem descendit, uni dum bibere vult in aquam cecidit. [2] Columba quedam arborem fonti eminentem supersedens cum formicam aquis obrui consiperet, ramulum ex arbore rostro continuo frangit ac sine mora deicit in fontem; ad quem formica se applicans ex aquis in tutum se recepit. [3] Obiter auceps quidam advenit et ut columba venetur calamos erigit. [4] Formica id percipiens pedem alterum momordit aucupi. [5] Eo dolore auceps concitus calamos demittit. [6] Quorum strepitu columba territa ex arbore aufugiens vite periculum evasit.

[7] Fabula significat quod cum bruta in beneficos grata sint, eo magis esse debent qui participes sunt rationis.

[Page 274]

LXIX – De vitulo et cerva

[1] Vitulus cerve aliquando ait: «Cum magnitudine sis maior canibus, et pedum celeritate cursu velocior et ad pugnam longe cornibus munitior, cuius rei gratia, mater, tantopere canes reformidas?» [2] Ei cerva inquit surridens: «Quoniam, fili, licet que dicis omnia possideam, canum latratum ferre non possum sed pre timore fugam statim arripi.» [3] Fabula significat quod qui natura timidi sunt *<in>* eos ut audeant nulla valet hortatio.

[Page 276]

LXX – De ape et love

[1] Apes, que cere mater existit, quondam accedens ut diis sacra faceret lovi donum obtulit mellis. [2] Qua oblatione Iupiter letus iussit sibi concedi quicquid ipsa precaretur. [3] Apes igitur rogans ait: «Illustrissime deus deorum, ancille tue concedere velis ut quicumque ad alveare pro rapiendo melle accesserit, is simulac pupugero eum continuo moriatur.» [4] Qua rogatione Iuppiter diu ambiguus, quoniam genus mortalium longe amabat, demum api ait: [5] «Satis sit tibi quod quicumque alveare pro rapiendo melle accesserit si eum pupugeris et in punctura aculeum demiseris continuo

ipsa moriaris, tibique vita sit ipse stimulus.»

[6] Fabula significat quod inimicis quandoque mala precamur que in nos sepius vertuntur.

[Page 278]

LXXI – De musca

[1] Musca que in ollam carnium deciderat cum se in brodio suffocari sensit secum ipsa ait: [2] «Ecce tantum bibi, tantum comedi, tantum me lavi quod iure satura mori possum.»

[3] Fabula significat quod prudentis est id presenti animo ferre quod vitari minime potest.

[Page 280]

LXXII – De adolescente quodam et hirundine

[1] Adolescens luxuriosus cum bona patris oblurcasset solaque vestis ei remansisset, visa ante tempus hyrundine estatem iam adesse existimans ipsam quoque vendidit vestem.

[2] Sed hyeme denuo orta cum immenso cruciaretur frigore, visa rursum hyrundine que et ipsa frigore obibat ait: [3] «O pessima avis, que me et te pariter perdidisti!»

[4] Fabula significat quod que suo tempore non fiunt ea diu stare nequeunt.

[Page 282]

LXXIII – De egroto et medico

[1] Eger a medico rogatus quo pacto se habuisset, plus quam esset opus se sudasse respondit. [2] Id bonum fuisse medicus ait. [3] Secundo rogatus ab eodem quomodo se haberet inquit egrotus vehementi frigore fuisse comprehensum. [4] Id ad salutem fore medicus quoque ait. [5] Tertio ab eodem rogatus quo pacto se habuisset inquit egrotus cum difficultate digerere potuisse. [6] Rursum medicus ait id ad salutem optimum fuisse. [7] Deinde ex domesticis cum quidam egrotum interrogaret quomodo valeret illi eger ait: «Signa ad salutem, ut medicus ait, perplura et optima sunt, illis tamen dispereo signis..»

[8] Fabula significat quod qui ad voluptatem loquuntur illis aures prestare quis non debet.

[Page 284]

LXXIV – De lignatore quodam

[1] Lignator quidam dum iuxta flumen deo Mercurio dicatum ligna cederet, securis casu decidit in flumen. [2] Multo igitur merore comprehensus iuxta fluminis ripam gemens conseudebat. [3] Mercurius, misericordia motus, lignario apparuit suique fletus causam rogavit. [4] Quam simul ac didicit, securim auream deferens utrum quam perdiderat illa esset rogavit. [5] At eam pauper suam esse negavit. [6] Secundo Mercurius alteram detulit argenteam. [7] Quam cum pauper ille suam quoque esse denegaret, postremo Mercurius ligneam sustulit. [8] Illam suam esse cum pauper assentiret, Mercurius cognoscens illum esse hominem verum iustumque omnes sibi dono dedit. [9] Accedens igitur ad socios, lignarius quod sibi acciderat aperit. [10] Unus ex sociis idem experiri volens, cum ad flumen accessisset securim in aquam deicit, deinde flens in ripa consedit. [11] Cuius Mercurius fletus causam doctus, securim auream afferens si quam perdiderat illa esset rogavit. [12] Quam cum suam esse assereret, Mercurius cognita eius impudentia ac mendacio, nec auream nec suam quoque tradidit.

[13] Fabula significat quod quanto deus propitior est probis eo improbis existit infestior.

[Page 286]

LXXV – De asino et love

[1] Asinus olitori cuidam serviens cum multum comedeleret et parum laboraret lovem exoravit ut alium dominum sibi mutaret. [2] Itaque Iuppiter mandat ut figulo veneat.

[3] Apud quem asinus cum laboraret in deportando lutum, lateres, tegulas et huiusmodi, secundo lovem precatur ut alii deserviat domino. [4] Iuppiter iterum mandat ut coriaro venumdetur. [5] Cui asinus multo cum labore et paucō cibo serviens «Heu me miserum, – cum gemitu ait – qui dominos omittens meliores ad deteriorem perveni, apud quem, ut video, corium meum etiam post mortem cruciabitur!»

[6] Fabula significat quod priores dominos tunc servi desiderant cum deteriores experiuntur.

[Page 288]

LXXVI – De leporibus et ranis

[1] Lepores in unum simul se convenerunt, ubi cum de miseria ipsorum innata dolerent gementive, quod vita eis quam ceteris animantibus data esset miserior, quoniam homines, aquile et canes ad mortem eos usque persecuntur, decernunt melius sibi fore semel mori quam vita tam misera diutius permanere. [2] Hoc certo consilio, ut se in stagnum precipitent dum ocius tendunt, rane que super stagni ripa astabant ut strepitum audiunt in stagnum desiliunt seque aquis submergunt. [3] Quam rem qui lepus preibat cum conspicatur reliquis ait: «State, nam nobis sententia mutanda est, quippe, ut liquido videtis, animalia quam nos magis timida reperiuntur.»

[4] Fabula significat quod cum miser miseriorem aspicit suam equius miseriam est.

[Page 290]

LXXVII – De asino et equo

[1] Asinus, cum equum alimonia et otio diligenter cura abundare perspiceret, eum longe beatum esse commendabat seque nimium infelicem dicebat, quod cum multum laboraret ad saturitatem de paleis haud haberet. [2] At cum belli tempus advenit, miles armatus equum ascendit ac, dum medios occurrit in hostes, equus mucrone percussus cadit humili prostratus. [3] Quem asinus prospiciens ingemuit eiusque misertus sui animi sententiam mutavit.

[4] Fabula significat quod cum paupertate, que mater est quietis, quis convenire debet potius quam locupletioribus invidere.

[Page 292]

LXXVIII – De asino et lupo

[1] Asinus quidam pede altero sentem calcavit claudusque factus cum lupum ad se venientem conspiceret nec fugere posset, miserabilis voce inquit: [2] «Heus, lufe, demorior equidem e dolore, sed ex quo opus est ut tibi et corvis futurus sim cibus, obsecro quatenus tua benignitate sentem e pede velis extrahere ut munere tuo extremum sine dolore obeam diem.» [3] Dum sentem denitibus lupus evellit, asinus eum calce percussit. [4] Lupus deinde naso, fronte ac dentibus perfractis «Heu, me miserum!» exclamat [5] «lure hoc patior – deplorando reiterat – Qui cum essem coquus medicus esse volui!»

[6] Fabula significat quod quam quisque novit ea se exerceat arte.

[Page 294]

LXXIX – De muliere et gallina

[1] Mulier quedam gallinam habebat, que aurea continuo ova pariebat. [2] Putans igitur totam intus auream esse illam occidit, sed cum aliis gallinis esse similem repperit, ubi dives fore putavit, quem primo questum habebat eum plus habendi cupiditate amisit. [3] Fabula significat quod plus habendi cupiditate id sepe perdimus quod habemus in manibus lucrum.

[Page 296]

LXXX – De rana et vulpe

[1] Rana palude existsens, ceteris animalibus clamando cum profiteretur se medicam esse farmacorumque peritam, ei vulpes venustissime ait: [2] «Qui alias curaveris, cum clodicantem curare te nescias?»

[3] Fabula significat quod alias docere quis non potest id quod haud didicerit.

[Page 298]

LXXXI – De serpente et agricola

[1] Serpens ante agricole cuiusdam domum latebrum habens, cum ab agricole filio esset percussus, eo acriter ipsum momordit quod morsu ex illo puer repente obiit. [2] Hac re cognita magnus inter parentes gemitus oritur. [3] Tum pater merore concitus, accepta securi serpentem ut occideret persequitur, vibransque securim ut serpentem percuteret extremum caude eius cecidit. [4] Deinde volens pacem cum serpente confidere, acceptis farina aqua sale et melle, ad reconciliandam inter se amicitiam vocat serpentem. [5] Ei serpens sub petra latesc sibilando ait: «Frustra laboras, bone vir, nam inter nos amicitia fore non potest, quippe, dum me sine cauda aspexero et tu tui filii sepulchrum, quieti animo esse nequibimus.»

[6] Fabula significat quod dum iniuriarum recens vel maxime extat memoria, odia tolli minime queunt.

[Page 300]

LXXXII – De gallina et vulpe

[1] Vulpes gallinarum tugurium ingressa, cum gallinam nido egrotantem aspergit eam, rogavit quomodo valeret. [2] Cui gallina prompte respondit: «Meliusque me haberem si hinc abires, soror!»

[3] Fabula significat quod inimicorum presentia nimium est molesta.

[Page 302]

LXXXIII – De viatore

[1] Viator quidam, cum multam viam viasset, votum Mercurio vovit quod si quid reperiret eius rei medium sibi offerret. [2] Forte igitur adinvenit peram amygdalis dactulisque refertam, et cum putaret id esse argentum peram capiens amygdalarum nucleos et carnes dactulorum ipse comedit. [3] Deinde templum Mercurii ingressus atque aram manibus tenens, verbis ridiculis inquit ad eum: «Votum, Mercuri, nunc persolvo tibi. [4] Nam quas equidem res adinveni, earum tibi offero medium, ossa scilicet dactulorum atque testas amygdalarum.»

[5] Fabula significat quod homines avaritia deorum efficit contemptores.

[Page 304]

LXXXIV – De leone et homine

[1] Leo et homo, cum semel simul viam viarent ac inter viandum se quisque verbis commendaret, ecce lapidee occurrunt columne in quibus erat incisum quod homo suffocabat leonem. [2] Quam sculpturam homo leoni ostendens ait: «Hic videri licet quanto homines leonibus ac feris omnibus prestantiores sunt ac robustiores.» [3] Ei leo prompte respondens inquit: «Si apud leones essent, ceu apud homines, qui sculpere scirent,

plures a leonibus homines quam ab hominibus leones suffocari sculptos videres.»
[4] Fabula significat quod homines iactabundi se fecisse fingunt que facere numquam temptarunt.

[Page 306]

LXXXV – De vulpe quadam

[1] Vulpes, cum racemos uvarum plenos iam ac maturescentes prospiceret, cupida de illis manducare omnem viam machinata est qua illos comprehendere posset. [2] Sed cum omnem viam frustra temptasset nec desiderio suo satisfacere quivisset, mestitiam vertens in gaudium ait: «Racemi illi adhuc nimium sunt acerbi.»

[3] Fabula significat quod prudentis est fingere se ea nolle que se consequi non posse cognoscit.

[Page 308]

LXXXVI – De puero et scorpione

[1] Puer quidam ruri venabatur locutas et cum scorpionem capere vellet, scorpio simplicitate eius cognita ait ei: [2] «Heus puer, dege in pace ac manum abstine, si non vis totus perire!»

[3] Fabula significat quod qui ad utramque partem cogitat, is que sequi et que vitare debeat probe tenet.

[Page 310]

LXXXVII – De venatore et perdice

[1] Venator quidam cum quam ceperat perdicem occidere vellet, perdix gemens huiuscemodi verba fecit ad eum: [2] «Heu, perdicum auceps, si me missam feceris ac vitam donaveris, alias perplures conducam tibi perdices.» [3] Ei auceps apposite respondit: «Nunc eo magis occidi dignam te iudico, quod amicos per insidias perdere polliceris.»

[4] Fabula significat quod qui sibi caros perdere dolo querit, is preceps in pericula incidit.

[Page 312]

LXXXVIII – De lepore et testudine

[1] Testudo, cum eius pedes lepus derideret, surridens inquit ad eum: [2] «Si periculum in cursu feceris, quod quam tu velocior sim liquido cognoscas.» [3] Cui lepus ait: «Te profecto fugit quid mei valeant pedes, sed iudicem eligamus, qui cursum et terminum nobis diffiniat.» [4] Igitur eligunt vulpem brutorum omnium sagacissimam. [5] Que ut locum et cursus terminum constituit, testudo omni signitie ac negligentia semota, iter arripiens haud quievit, donec ad terminum pervenit. [6] Lepus vero pedibus fidens ubi paululum quievit, sommo excitatus quantum pedes valuerunt ad terminum cucurrit, ibique cum testudinem quiescentem repperit, se cum rubore fatetur a testudine superatum.

[7] Fabula significat quod studio et diligentia, non corporis viribus res vel maxime conficiuntur.

[Page 314]

LXXXIX – De salici et securi

[1] Securis cum salicem cederet ex ea ipsa cuneos fecit, quibus salicem scinderet facilius. [2] Quam rem presentiens salix gemens eiulansque ait: «Non tantum de securi queror, que hominum manibus me scindit, quantum de cuneis qui fiunt ex corpore meo.»

[3] Fabula significat quod in adversis non veri amici infestiores amicis quam inimici sepius se reddit.

[Page 316]

XC – De puero duodam fure

[1] Puer quidam e ludo litteratorio librum socio clam auferens sue matri tradidit illum. [2] Quem mater cum libenter accepisset nec filium castigasset, rursus puer alii vestem clam abstulit atque matri quoque detulit. [3] Quam cum mater etiam libenter accepisset, puer castigatione carens cum plura in diem ac maiora, crescentibus annis, furaretur, demum publice captus ceu furti reus, per questores publice damnatus est morti. [4] Sed cum ad locum iustitie duceretur eumque mater gemendo sequeretur, impetrata venia ut matri ad aurem unum loqui verbum valeret, ad eam conversus atque os auri matris adherens, uti quipiam secreto dicturus, aurem dentibus sibi abscindit. [5] Mater vero pre dolore exclamans mala sibi imprecatur. [6] Tunc qui eum ducebant cum supra modum criminarentur non solum furti sed quod tam impius fuerit in matrem, ille absque rubore inquit ad eos: [7] «Nemini vestrum sit mirum quod aurem matri dentibus abscidi. [8] Ipsa enim huius mee perditionis auctor et causa est, quippe si me castigasset, cum ei librum detuli quem socio e scholis primum clam abstuli, obmissis pre timore verberum furtis, ad hoc in presentia genus turpissime mortis non pervenissem.»

[9] Fabula significat quod qui in delinquendo ab initio non castigatur facinorosior in diem efficitur.

[Page 318]

XCI – De pastore et mari

[1] Pastor quidam iuxta litus maris pecudes pascens cum mare ipsum semel palcidum aspiceret, navigandi studio captus oves pro dactulis commutavit. [2] Quibus navi

impositis, cum altum iam navigaret et orta tempestate sine spe salutis fluctuaret, que in navi sunt ea omnia proiecit atque in portum vix se recepit. [3] Denuo cum oves pasceret ac rursus mare tamen tranquillum videret, suo consocio ipsam maris tranquillitatem commendanti, ridicule ait: «Mare iterum dactulos cupit.»

[4] Fabula significat quod usus et peritia nos reddunt in periculis cauiores.

[Page 320]

XCII – De punica et malo arboribus

[1] Punica et malus arbores de pulchritudine contendebant. [2] Cum diu inter se variis et acerbis contentionibus cooncertassent, rubus ex proxima sepe huiusmodi contentiones accipiens accessit ad eas atque inquit: [3] «Satis iam satis certatum inter vos est: quiescite admodum et contentionibus finem imponite.»

[4] Fabula significat quod minores maiorum lites sepenumero componunt.

[Page 322]

XCIII – De talpa et matre

[1] Talpa cecum natura animal est. Hec aliquando matri ait: «Ingentem sentio odorem.»

[2] Parum post rursum ait: «Excelsam aspicio fornacem.» [3] Tertio item ait: «Malleorum sonitus audio fabriles.» [4] Ei mater comiter ait: «Heus filia, tu, uti percipio, non solum oculis sed naso et auribus orba existis!»

[5] Fabula significat quod homines iactabundi cum magna profitentur tunc vel maxime in minimis redarguuntur.

[Page 324]

XCIV – De vespis perdicibus et agricola

[1] Vespe semel et perdices siti concite cum simul convenissent, ad rusticum quandam tendunt, potum ab eo petentes atque pollicentes quod sibi pro aqua largas referent gratias, quippe perdices vineam sibi eo fodere promittunt quod plenos vites producent racemos, vespe vero se vineam circuendo custodire ac fures inde amovere large offerunt.

[2] Quibus agricola inquit: «Duos habeo boves qui, cum nihil promittant, eandem hanc operam nihil minus prestant. Itaque satius est mihi illis quam vobis aquam exhibere.»

[3] Fabula significat non esse illis subveniendum qui nauci et inutiles sunt.

[Page 326]

XCV – De love

[1] Cum Iuppiter nuptias celebraret, cuncta animalia sibi munera obtulerunt, queque pro viribus suis. [2] Verum enim serpens rosam legit illamque ore tenens lovi obtulit.

[3] At Iuppiter ut eum aspergit palam inquit: «Ab omnibus dona libenter equidem accipio, verum a serpente id haudquaquam facio!»

[4] Fabula significat quod improborum munera non sint sine dolis quivis prudens sibi persuadere debet.

[Page 328]

XCVI – De simia

[1] Simiam duos catulos parere fertur, quorum ad unum dumtaxat afficitur et ex affectione illum diligentissime nutrit, alterum vero odit negligitque. [2] Contigit autem quod qui in deliciis habebatur a simia in somnis fuit suffocatus. [3] Quam ob rem qui neglectus erat ad perfectam usque etatem, ceu matris delicie, fuit educatus.

[4] Fabula significat quod hominum prudentiam fortuna procul dubio superat.

[Page 330]

XCVII – De pulice

[1] Pulex, cum quandam morsu aliquando stimulasset captusque rogaretur quisnam esset qui membra sibi depasceret, ait se ex eo animalium genere esse quibus a natura datum esset ut eo pacto vitam vivant, nec eum occidere velit cum multum mali facere ipse sibi nequeat. [2] At homo ille surridens inquit ad eum: «Eo magis meis necaberis manibus, quoniam nec multum nec parum abs re quempiam ledere licet.»

[3] Fabula significat quod malorum licet parum vel multum delinquent misereri haud oportet.

[Page 332]

XCVIII – De pulice et homine

[1] Pulex suo more solito saltans super hominis pede resedit illumque morsu acriter pupugit. [2] Qua punctione homo ille graviter concitus pulicem cepit ac unguibus obtundere voluit, sed pulex manibus exiliens mortem vitavit. [3] Tunc homo exclamans ait: «O Hercules, malorum extintor, ecquid mihi in hunc opprimendum presens non fuisti?»

[4] Fabula significat quod non in minimis sed in magis arduisque rebus a diis auxilium quis implorare debet.

[Page 334]

IC – De formicis et cicada

[1] Hyemis erat medium cum formice sparsim triticum apricabant. [2] Quod cicada aspiciens, cum inedia conficeretur, accessit ad eas ac triticum pro alimonia ut sibi concederent oravit [3] et, cum formice eam rogarent quidnam estate fecerit, num segnis et otiosa eo tempore steterit, illis cicada ait: [4] «Neque segnis haud otiosa steti,

sed cantum cecini quo laborem vie viantibus levabam.» [5] Qua re audita formice subridentes inquiunt: «Si estate cecinisti ut viantes delectares, nunc salta ne frigore conficiaris!»

[6] Fabula significat quod qui que facienda sunt suo tempore non fecit, is in angustias quando non putat incidit.

[Page 336]

C – De viro et uxoribus

[1] Tempus erat veris quo quidam in delitiis educatus, cum nec iuvenis nec senex esset – semicanus enim erat capillos – duas simul duxit uxores, unam quidem natu grandem, alteram vero iuniorem. [2] Cum omnes eandem habitarent domum, uxor anus, ut virum in amorem suum totum peliceret, quotidie viro caput pertractans nigros sibi evellebat capillos, pari studio iunior, ut ab anus consuetudine illum amoveret, albos evellit capillos. [3] Postremo ita eum depilarunt quod calvum atque ridiculum non sine summo obprobrio virum reddiderunt.

[4] Fabula significat quod nulla melior salus senibus existit quam feminis carere et maxime iunioribus, nisi penitus obrui se velint.

[Page 338]

Anacephaleosis

[1] Habes vitam pariter et fabulas Esopi fabulatoris eximii, reverendissime pater, per me nuper verbis latinis indusiatas, non tamen omnes sed quotquot ad manus meas usque pervenerunt quamquam arbitror preter has si que reperiuntur esse perpaucas; [2] quod vero longe plures Esopus confecerit, hinc vel maxime coniectari licet: [3] nam in describendo fabulas cum sequatur ordinem alphabeti in his he deficiunt littere ?, ?, ?, ?, atque in aliis plerisque litteris perspicue appetat plenum fabularum numerum non esse, que, sive neglegentia scriptorum, sive varietate temporum, sive ipsa vetustate obliterata sint, ad secula nostra non pervenerunt. [4] Que tamen habentur quia iucunditatem legentibus afferunt et vite hominum utilitatem non mediocrem, tuo in nomine feci latinas, ut et animi mei affectionem erga te cognoscas et censor existas studiorum meorum. [5] Quibus invigilasse non frustra putabo si sapientissimo iudicio tuo tuaque auctoritate comprobari comperero.

[6] Sed ut ait poeta noster eximus:

Et iam tempus equum fumantia solvere colla.

[Page 340]

Addendum

CI – De formicis et cicadis

[1] Estantis erat medium atque <cicadis> arbusta resonabat, mirmices vero labori operam dabant grana ceteraque ad victim necessaria legentes. [2] Sed cum glacialis iam adesset hiems cantus inedia inversus est cicadis, laborque copiam prebuit formicis.

[3] Sic et iuventus non patiens laborum in senio plurimus est referta dispendiis.

[Home](#)

Rinucius Aretinus. Date: 20/08/2017